

vero & in hunc usque diem, diversæ Philosophorum sectæ, in amplissimo Sinensium imperio, sapientiam profitentur, è quibus præcipua Confutium sequitur, Socratem Sinensem: sic enim à Christianis vocari solet; cum quod Socrati coævus fuisse creditur, tūm quod exemplo illius, morum imprimis doctrinam excoluit: Non minor certè viri istius apud suos in Oriente autoritas est, quam Platonis & Aristotelis, in occidentali orbis tractu. (d) Similiter inter Muhamedanos, Philosophia multos, neque in omnibus, infelices reperiit alumnos. Mauri ex Africâ in Hispaniam introduxerunt Averroem suum, sive ut rectius vocatur Avenroem, qui in libris, quos edidit, mentem Aristotelis adeò dextrè expressit, ut per excellentiā Commentator meruerit salutari. (e) Plures sapientiæ mystas produxit Arabia, qui cum subtilissimè disputatione, *Loquentium* nomine insigniti sunt, è quorum numero, præ cæteris inclauerunt Ibn-Phurek & Schastanæus. (f) Persæ etiamnum cum Poësi, Astronomiæ diligenter invigilant, siderumque scrutatores, qui à Rege

A 3

&amp;

(d) De Sinensium Philosophiâ legatur Joh. Neuhofii Itinerar. in Germanicam lingvam translatum p. 250. seqq. 297. seqq. De Mathesi eorundem multa inveniuntur in Historicâ Relatione de ortu & progressu Fidei, in Regno Chinensi, per Missionarios Societatis Jesu. Sinensibus Philosophis jungi possent Japonii, de quibus videatur Bernh. Varenius Descript. Japoniæ c. 25. (e) J. G. Vossius de Sect. Philos. c. 17. §. 19. Qui plura de Maurorum re literariâ scire avet, evolvat Joh. Leonis Africam, ubi mira inveniet de Collegiis, Bibliothecis, Virisque doctis apud Maroccanos p. 152. 157. & apud Fessanos p. 282. seqq. (f) Hottinger. Hist. Orient. L. 2. c. 6. p. 347. Aliorum Philosophorum doctorumque Virorum inter Arabes nomina, atque laudes, recenset Gabriel Sionita, de Orientalium Urbibus & Moribus c. 2, & 13.